

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1868

Auteur(s) : Guillaume Ier, Ponthieu (comte)

Bénéficiaire(s) : Raoul, La Hoguette, Saint-André-en-Gouffern (abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1143, 19 septembre

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume, comte de Ponthieu, donne à l'abbé Raoul et les moines de Saint-André de Vignats en perpétuelle aumône une partie de la forêt de Gouffern et notifie leurs possessions et droits.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Sagiensis, n° IX, col. 162-163.

Texte établi d'après a

Willelmus comes Pontivorum, Radulpho abbati sanctæ Mariæ, sanctique Andreae de Vinatio, et monachis ibidem Domino servientibus, tam præsentibus quam futuris, in Domino salutem. Caritas et religio qua Deo placere studuistis, necnon observantia sanctæ conversationis quam efficacius elegistis, tenere nos vobis gratiores efficiunt, ut paci vestræ sollicitius intendamus, et solitudini vestræ attentius provideamus, ut quæcumque largitione nostra et eorum nostro jure existunt vobis collata, vel in futurum sunt conferenda, rata vobis et illibata sine ulla molestia permaneant, et in quantum facultas suppetit, exercere nos convenit ut res vestræ ab inquietudine pravorum hominum in omnes existant, attentius exoptantes vos in pace et quiete preces et hostias, pro nobis supplicando, Deo auctori nostro jugiter offerre. Vestræ igitur necessitati et religioni providentes, concedimus vobis et ecclesiæ vestræ in eleemosynam perpetuam, pro remedio animæ meæ, patris mei, matrisque meæ, et omnium parentum meorum, partem forestæ de Goffer, videlicet a vaccaria sicut rivulus currit usque ad essartum Galterii, et ab essarto Galterii sicut Noa dividit usque ad Forgias, etc. Porro quæcumque possessiones aut bona juris nostri ad ecclesiam vestram vel ad vos juste et canonice pertinere noscuntur, vel in futurum liberalitate, largitione et oblatione omnium nostrum fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis in perpetuum et illibata permaneant. Nulli ergo hominum nostrorum fas sit ecclesiam vestram aut vos in aliquo temere perturbare, aut possessiones vestras auferre vel ablatas retinere, minuere, vel aliquibus molestiis fatigare, sed omnia integra conserventur vestris et eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, profutura usibus. Si quis ergo contra hanc nostræ constitutionis paginam temere venire temptaverit, exoramus ecclesiasticos rectores qui in cathedra B. Petri apostolorum principis resident, ad quorum officium ecclesiasticus vigor pertinet, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, quatinus potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem loco vestro vobisque pacem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatinus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ visionis inveniant, amen. Testibus Johanne episc. Sagiensi, Arnulfo episcopo Luxoviensi, Algaro episc. Constantiensi, Hamone abbate S. Petri de supra Divam, Serlone abbate

Savigneiensi, Olmone abbate de Belbech, Garino priore de Sagio, Guillermo archidiacono de Harenis, Sarlone capellano, Pagano de Mesdavid, Hugone Merlaidi, Roberto de Corceio, Alexandro de Bohon. Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini 1143, in dedicatione S. Mariæ sanctique Andreae XIII calend. Octobris, Johanne episcopo regente ecclesiam Sagiensem, regnante in Galliis rege Ludovico, principante in Normannia duce Gaufrido.